





DISPUTATIO
JURIDICA,
DE FVRTIS.

CVM ADIECTIS QVIBVSDAM
COROLLARIIS.

1673, 4

Quam
SACROSANCTAE TRINITA-
TIS AUXILIO.

Sub Praesidio

CLARISSIMI ET CON-
SULTISSIMI VIRI, DN. CASPARI
BITSCHII, J. U. D. ET PANDECTA-
rum in Inclÿta Argentoratensium Academia
Professoris celeberrimi, Praeceptoris
sui plurimùm honorandi.


Exercitiÿ gratia in Disquisitionem
publicam proponit,

Mensis Decembris die 23. horis
locoque consuetis:

CAROLUS à KOHL
Zittaviâ Lusatus.

ARGENTORATI,
Typis JOHANNIS CAROLI.

Anno M. DC. XIII.



NOBILITATE, INSIGNI PRU-
DENTIA, ET MULTARUM RERUM
usu præstantissimis viris,

Dominis

CONSULIBUS, CAETERISQUE REIPUBL:
ZITTAV: SENATORIBUS.

nec non

Speçtatissimis, Consultissimis, Ornatissimisq; viris,
Dn. GEORGIO FETTICHIO Reip. Ar-
gentin: civi primario.

Dn. JOHANNI-JACOBO RIEPPIO J. U. D.
Celeberrimo:

Dn. MICHAELI } à Khol fratribus.
JACOBO }

*Patronis, Mecenatibus, Fautoribus & fra-
tribus piè reverendis,*

*Hasce studij Iuridici primitias, exiles qui-
dem, & tantis viris vix dignas,*

In

*Gratitudinis & officiosi animi tesseram, observantia
exhibenda notam, obsequij præstandi signum, stren-
loco offert & dedicat, & unà se, suaque studia
ijsdem commendat,*

Carolus à Khol Zittanus
LL. Studiosus.



DISPUTATIO DE FURTIS.

THESIS I.

DE FURTO in jure civili Justiniano tractatur, ut causa obligationis. Omnis enim obligatio, aut est ex contractu, aut quasi ex contractu aut ex maleficio, (a) aut quasi ex maleficio. (b) Maleficia vero alia quidē sunt extraordinaria; (c) alia ordinaria; (d) in quibus primum locum sibi vindicat FURTUM.

(a) Sive delicto: Rubr: Instit. de obligat: qua ex delict: nasc: & Rubr: de obligat. qua quasi ex delict. nasc: Intellige autem delictum privatum, Rubr: Digest. de Privat. delict. quod ita denominatur ab actione: quia ex eo, privatā, pecuniariā, & civili actione delinquens tenetur ei cui nocuit, vel injuriam intulit. Quod faciunt, l. 42. princ & §. 1. ff. de Procurator: & defensor: l. 17. §. 18. ff. de adilitio edito. l. ult. ff. de privatis delictis, l. ult. ff. de furtis. l. 7. C. de injurijs §. 10. Inst: eodem tit. l. 6. & l. 37. §. 1. ff. eodem. l. 3. §. 1. ff. stellionatus. l. 2 §. 1. ff. de vi bonor: raptor: l. 1. §. ult. ff. de abigeis. l. 1. §. 1. ff. de incendio, ruina naufrag: l. 1. §. 1. ff. de testibus. l. 15. C. de quaestionibus. l. 13. in pr: C. de Iudicijs. l. 2. ff. de furibus balnearijs.

(b) §. ult: Instit: de Obligation:

(c) veluti sepulchri violatio, concussio, abigeatus, prævaricatio, stellionatus, terminorum motio, &c. tit: ff. de extraordinar: crimin: cum tit: seqq.

(d) arg: d. tit. de extraordinar. crimin: & l. 2 ff. de furibus balnearijs. Hujus generis sunt; Furtum, Rapina, Damnum, Injuria, pr: Inst: de oblig: qua ex del: nasc: l. 4. l. 25. §. 1. vers ex facto ff. de Oblig: & Action.

(e) d. princ. Inst: de oblig: qua ex del: nasc. & d. l. 4. & 25. §. 1. ff de Oblig: & Action.

Λ 2 Definitur

I I.

Definitur autem FURTUM contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve. *l. 1. §. 3. ff. hoc. tit. §. 1. Inst: de oblig: qua ex del: nasc:*

I I I.

Hoc lege naturali prohibitum est admittere, & naturam probrum est. *§. 1. Inst. hoc tit: & l. 1. §. 3. in fin. ff. eodem. l. 42. ff. de Verb. Signific:*

I I I I.

Furti genera sunt duo. Aliud enim manifestum est: aliud non manifestum; seu, ut frequentius appellatur, nec manifestum. *l. 52. §. ult. ff. de furtis. §. 3. Inst: de obligat: qua ex del: nasc:*

V.

Manifestum est, cum fur ἐν ἀποφύρω, vel antequam ad locum destinatum pervenit, cum refurtiva a domino rei, vel ab alio deprehenditur. Nec manifestum, cum non ita deprehenditur. *§. 3. Inst: hoc tit. l. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. ff. eodem.*

V I.

Deprehendi autem intelligitur, si quis eum saltem inclamet, aut ad comprehendendum eum cum clamore & testificatione accurrat: licet eum non comprehendat, vel capiat. *l. 7. §. 1. ff. de furtis. Cujac: lib. 11. observat: 38. & in Papiniano lib. 12. question. ad l. 80. §. cum raptor. ff. d. t. Constitutio panalis sive criminalis Carolina artic: 157. & seq.*

V I I.

Hoc delictum non cadit in impuberem; nisi is pubertati proximus sit, & ob id intelligat se delinquere. *l. impuberem. 23. ff. hoc tit. §. 18. Inst: hoc. tit.*

V I I I.

Rem in qua furtum committatur corporalem esse oportet. *l. si is qui 75. ff. de furtis.* Nam incorporalia nec tangi, nec contrectari possunt. *l. servus 43. §. incorporales 1. ff. de acquir: rer: domin: tit. Inst: de rebus corporal: & incorporal:*

I X.

Sed & mobilem eam esse necesse est. *§. quod autem 7. Inst: de Usucap. l. 38. ff. eodem tit. l. verum. 25. ff. de furtis.*

Opor:

X.

Oportet & in alicujus dominio eam esse. Nec enim fit furtum ejus rei, quæ sine domino est. *l. ult. ff. de crim: expil: heredit: veluti ferarum in naturali sua libertate existentium. l. si aper. 26. ff. hoc tit. rerum pro derelicto habitarum. l. falsus 43. S. quod si dominus 5. ff. hoc. tit. cum furtum non fiat, nisi fit cui fiat, ibidem.*

X I.

Et quidem in dominio alterius. Regulariter enim alienæ, non suæ, rei furtum quis committit, *arg. S. aliquando 10. Inst. hoc tit. Vndè Paulus in lib. 2. sentent. tit. ult. S. 18. Rei nostræ furtum facere non possumus: & Aristoteles lib. 5. Ethic. cap. 11. ἡ δὲ αἰσὺντα τὰ ἐαυτῶν.*

X I I.

Nec tamen interest, tota aliena sit, an ex parte; Nam & rei communis furtum fieri potest. *l. rei communis 45. ff. pro socio. l. si socius 45. ff. de furtis. Negari enim non potest, eam rem alterius esse, licet furantis quoque sit. l. illud dubitationis 46. ff. de ritu nupt:*

X I I I.

Ut nec interest, sciamusne, an ignoremus, cujus res sit. *d. l. 43. S. qui alienum 4. ff. hoc tit. Omnes enim scire debent, quod suum non est, hoc ad alios modis omnibus pertinere. l. ult. C. unde vi.*

X I V.

Qui verò rem jacentem, ignorans cujus esset, sustulerit, rectè se à suspitione liberabit, si proponat libellum continentem se invenisse, & reddere paratum esse: nec tamen *εὐεργον* probè, quamvis sine furti crimine, petet. *d. l. falsus. 43. S. 7. 8. 9. ff. hoc tit: licet honestè accipiat l. 1. S. proinde. 5. ff. de extraordinar: cognition:*

X V.

Præterea rem, cujus furtum fiat, ab aliquo possideri oportet. Atque idcirco rei hæreditariæ regulariter furtum non fit. *l. hereditaria. 68. cum legibus seqq. ff. hoc tit. l. 1. S. Scævola. 15. ff. si is qui testam: liber esse jussus erit. l. ult. ff. de crim: expilata heredit: quia nec hereditas possessionem habet, quæ facti est & animi: nec heres antequam apprehenderit possessionem, licet adierit hereditatem.*

tem, d. l. 1. §. 15. l. 2. §. 1. ff. de crim. expil: heredit. l. cum heredes 23. l. qui
universas 30. §. quod per colonum. 5. ff. de acquir: vel amit: posses.

X V I.

Non tamen propterea furtum rectè definiri putamus,
Possessionis interversionem: cum aliud sit, furtum non fieri
nisi rei possessæ: aliud, furtum non fieri nisi possessionis inter-
versione.

X V I I.

Forma furti consistit in contrectatione fraudulosâ, lucri
faciendi causa factâ, ut patet ex definitione furti, supra thesi 1. proposita:
& passim ex hoc tit.

X V I I I.

Inde sola cogitatio furti faciendi, non facit furem. l. 1. §. 1.
ff. h. t. & qui furandi animo conclave intravit, nondum fur est,
quamvis furandi causa intravit. l. vulgaris 21. §. qui furti. 7. ff. hoc
tit.

X I X.

Et inficiatio depositi non est furtum, licet prope furtum
sit. l. inficiando. 67. pr. ff. hoc tit.

X X.

Nec furtum facit, qui tantum consilium aut opem ad fur-
tum faciendum præbet: licet furtum fuerit secutum. S. interdum
quoque 11. in pr: Inst. de oblig: quæ ex del: nasc: l. qui servo. 36. in pr: ff. h. tit:

X X I.

Fraudem autem in contrectatione requirimus utroque
modo, id est, & consilio fraudantis, & ipsa re, ut in §. in fraudem
3. Inst. ff. qui & ex quibus caus: manum: non poss: & l. fraudis 79. ff. de Reg:
Iuris. juncta l. non fraudantur 145. eodem tit.

X X I I.

Unde nec qui rem alienam invito domino contrectat,
cum putat dominum, si intellexisset, permissurum: nec qui rem
alienam invito domino se contrectare credit, cum domino vo-
lente id fiat, furtum committit. S. placuit 7. cum §. seq. Inst. hoc tit.
l. inter omnes. 46. §. rectè dictum. 7. cum §. seq. ff. hoc tit.

X X I I I.

Quin cum non tantum facti error, sed & imprudentia ju-
ris,

193
ris, à dolo & fraude excuset, furti reus non erit, qui rem suam
ab alio possessam furripit, putans licere dominis rem suam
quocunque modo auferre à possessoribus. *S. ita tamen. i. Instit: de
vi bonor. raptor.*

X X I V.

Lucri verò faciendi animus cùm absit, ab eo qui libidinis
causa ancillam alienam rapuit vel celavit: ut & ab eo qui injuriæ
causa januam effregit, quamvis inde per alios res motæ sint:
neutrum furti teneri jura volunt. *l. Verum 39. l. qui injuriæ 53. ff. hoc
tit.*

X X V.

An autem is, qui non potest à suo debitore debitum con-
sequi, si rem ejusdem valoris ei furripiat, furtum committat,
quæritur? Quod, contra communem opinionem, affirman-
dum putamus,

X X V I.

An autem & is, qui permissu Magistratus rei furtivæ in-
quisitionem instituit in ædibus alienis? Negam:

X X V I I.

Qui verò facto ipso contrectavit alienum quid ea men-
te, ut lucrifaceret, tametsi mutato consilio id postea domino
reddidit, adhuc fur manet. Nemo enim tali peccato pœniten-
tiâ suâ nocens esse desijt. *l. qui ea mente. 65. ff. de furtis.*

X X V I I I.

Effectus furti sunt præcipuè actiones, quæ ob furtum
competunt.

X X I X.

Harum aliæ quidem rei persequendæ gratia comparatæ
sunt, ut condictio furtiva, rei vindicatio, actio ad exhiben-
dum: aliæ verò pœnæ persequendæ causa: ut actio furti mani-
festi & nec manifesti. *S. ult. Inst. de obligat. quæ ex del: nasc. l. i. pr.
ff. de privatis delictis. l. 7. S. i. ff. de condict: furt.*

X X X.

Item aliæ communes actiones sunt, & ex alijs quoque
causis competunt, ut Rei vindicatio, & Actio ad exhibendum:
Aliæ propriæ sunt, & ex sola causa furtiva dantur, ut condictio
fur-

291
furtiva: actio furti pœnalis in duplum, & in quadruplum.
Quarum hæ omnes generali vocabulo Actionis furti conti-
nentur. *l. eum qui. 14. §. qualis 16. l. si is qui 71. in pr. ff. hoc tit: l. cum fur-
ti. 9. ff. de in litem jurando.*

X X X I.

Nec civiles tantum contra furem actiones competunt:
sed & criminalis extraordinaria. *l. ult: ff. hoc tit.*

X X X I I.

Condictio furtiva cum supervacua videri possit, eò quod
adversus fures etiam hæc in rem actio competat, per quam
rem suam quis esse petit, odio furû inducta dicitur *§. sic itaq; dis-
cretis. 14. Inst. de Action:* An ideo tantum, quò magis pluribus
actionibus tenerentur fures, ut ibidem dicitur? An verò & ideo
quòd rei vindicatione condictio sit gravior: partim quòd hac
actione res furtiva cum aliquâ furis ignominia, (licet propriè
actio famosa non sit. *l. cessat. 36. ff. de obligat. & Action:*) exigatur,
ut ait Dn. Obrecht: *in Disputat: de furtis. tb: 194.* partim quod re
furtivâ peremptâ non distinguitur, fueritné res eodem modo
apud actorem peritura, necné: *l. inter omnes. 46. in pr. ff. de furtis.
l. 17. §. 2. ff. rer. amotar.* ut vult Cujacius, *ad l. 23. ff. de Verb: Oblig:
cum rei vindicatione fur teneatur non ut fur, sed ut quilibet
possessor. l. 12. C. de furtis. & in ea, ut in alijs plerisque actionibus
ista distinctio locum habet, l. de eo. 12. §. pen: ff. ad exhibend: cum le-
gibus similibus? Posterius affirmamus.*

X X X I I I.

Datur hæc actio soli Domino, heredive ejus; contra fu-
rem, ejusque heredes, cæterosque successores. *l. 1. l. 7. §. ult. ff. de
condict. furt.*

X X X I V.

Id autem maximè controvertitur, an contra hæredis fu-
res detur in solidum? Et licet non levibus argumentis negati-
vam propugnet Cujac: *lib. 7. observat. cap. 37. & lib. 13. cap. 37.* ta-
men affirmativam nos defendendam suscipiemus: propter *l.
7. §. ult & l. 9. ff. de condict. furt:*

X X X V.

Actio furti in specie dicta sive pœnalis, meram pœnæ per-
secu-

194
secutionem continet. §. ult. inst. de obligat: quæ ex del. nasc. §. ex maleficis. 18. §. sed furti. 26. cum §. seq. Inst. de Action.

X X X V I.

Pœna autem illa, vel dupli est, ut in furto nec manifesto; vel quadrupli, ut in furto manifesto. §. pœna. §. Inst. d. tit. de obligat. quæ ex delicto nascuntur.

X X X V I I.

Quam distinctionem etiam retinuit Divus Carolus V. in constitutione criminali, sive **Peinlichen Halsgerichtordnung**/ art: 157. ibi. nicht beschrien / berüchtiget oder betretten würde / & ibi, dem beschädigten den Diebstal mit der Zwifach zu bezahlen / & art. seq. 158. ibi, betretten / oder ein geschrey oder nachtheil machte / & ibi, dem Beschädigten den Diebstal Vierfaltig bezahlen.

X X X V I I I.

Hæc autem actio non domino tantum datur; sed & ei cuius alia de causa, quàm jure dominij interest rem salvam esse; imò nec domino aliter competit, quàm si ejus inter sit rem non perire. §. furti 13. cum §. seqq. Inst: de obligat: quæ ex del: nasc:

X X X I X.

Et datur non solùm contra eum qui furtum fecit, sed etiam eum, cujus ope & consilio furtum factum, quamvis ipse furtum non fecerit. §. interdum 11. Inst: hoc tit. l. 36. in pr: l. 52. §. 19. ff. de furtis l. 53. §. ult. ff. de Verb: signific.

X L.

Imò datur aliquando contra eum, qui furtum non fecit, non datur contra eum qui fecit. §. hi qui in parentum. 12. Inst: dicto tit.

X L I.

Sed ut jam olim actio hæc pœnalis civilis in desuetudinem abire, ejusque loco plerunque criminaliter agi cœpit, teste **Vlpiano** in l. ult. ff. de furtis. ita hodie jure gentium & consuetudine minimè frequentatur: sed loco pecuniariæ, corporalis pœna, pro conditione delicti & delinquentis, infligitur.

X L I I.

Atque adeò prædicta constitutione Carolinâ sancitum
A est:

163
est: ut si quis tertiâ vice furtum fecerit, ultimo supplicio afficiatur: & vir quidem laqueo, fœmina verò aquâ suffocetur, vel alio modo, secundum cujusque loci consuetudinem, vitâ priuetur: *artic. 162.*

X L I I I.

Idque non tantum si accuset is, cui furtum factum est, sed & hoc accusare nolente, Magistratus ex officio in furem animadvertere debet, *Constit. Carol. art. 214. v. ult.*

X L I V.

Non tamen in causa expilatæ hæreditatis, vel rerum amotarum, *ibidem art. 165. vers. ult.*

X L V.

Quam pœnæ exacerbationem malè à quibusdam, ut legi divinæ, Justitiæ, æquitatiq; contrariam sugillari; & gravibus justisq; rationibus receptam esse, existimamus.

X L V I.

Extat & Imp. Friderici ea de re sanctio, *in constit. de pace tenenda, & ejus violatoribus, lib. 2. Feud. tit. 27. §. ult.* Si quis quinque solidos valens, aut plus, fuerit furatus, laqueo suspendatur: si minus, scopis & forcipe excorietur & tundatur, vel ut alij legunt, tondeatur.

X L V I I.

An autem solidus hîc pro asse, sive grosso Misnico, an verò pro aureo accipiendus sit, controvertitur? Posterius videtur probabilius. *Quæ sententia quoq; à Daniele Mollero. 1. semestr. 37. n. 12. probatur, & Scabini Lipsenses & VVittebergenses in sententia pronuncianda sequuntur, in consult. constit. Saxon. parte. 4. n. 10. fol. 72.*

X L V I I I.

An autem pœna suspendij primùm ab Imperatore Friderico introducta sit, dubitatur? Et negandum putamus. Quia & ante Imp. Fridericum jure Saxonico, quod multò antiquius est, hæc strangulationis pœna in usu fuisse legitur, *art. 13. Landr. lib. 2. ubi hæc habentur verba: Den Dieb soll man Hencken.* Dani. Moller. *ad constit. Elector. 4. parte. 32. n. 3.*

X L I X.

Criminali verò actione institutâ, & vel ad mortem condemn-

125
demnato reo, non tamen propterea res furtiva apud furem
reperta, fisco vel ærario publico vindicari, & dominus eam
amittere debet. *l. interdum. 56. §. 1. ff. de furtis. Constit: Carol: art. 207.*
& seqq. *Damboud. in pract. crimin. c. 110. n. 28.* & sicubi contraria ex-
tat consuetudo, illa non consuetudo, sed corruptela, non usus
sed abusus est. *d. art. 207.* Quò & facit Recessus Imperij Augusta-
nus an. 1559. §. vnd nach dem 34.

L.

Nonnunquam contingere solet, ut fur, rupto laqueo, vi-
vus in terram de patibulo cadat: Quæritur, An incolumis di-
mitti debeat, vel denuò suspendi? Posterius videtur: *per constit:*
Caroli V. artic: 162. ibi vnd soll der Mann mit dem Strange vom Leber
zum Todt gestrafft werden.



C O R O L L A R I A.

I.

FURTUM dicitur à GRAECO SERMONE, qui φῶγας
APPELLANT fures: inquit Paulus in *l. 1. pr. ff. de fur-*
tis. An hîc Solœcum? Non putamus; Imò ne quidem in
illo Ulpiani: Fideicommissa quocunque sermone relin-
qui possunt: non solùm Latinâ, vel Græcâ; sed etiam Pu-
nicâ, vel Gallicanâ, vel alterius cujuscunque gentis, in *l. 11.*
pr. ff. de legat. 3.

II.

An pro tuendis rebus nostris fures, raptores, invaso-
res, jure occidere possimus, quæritur? Quod negamus,
nisi illi nobis res nostras tutantibus vim inferant, quæ sine
vi repelli nequeat.

III.

Rationabilisné & justa sit consuetudo: quod furum
ultimo

B 2

291
ultimo supplicio affectorum cadavera in patibulo, latronum in rotâ, &c. relinquuntur, neque inhumantur? Affirm.

I I I I.

An & illa: qua fur, seu alius maleficus, capitali poena afficiendus, propter puellæ matrimonium ejus ambientis intercessionem, aut Principis inaugurationem, vel introitum, vel pompam nuptialem, aut aliam similem causam, impunitus dimittitur? Negam:

V.

Furto affine est crimen expilatæ hereditatis: de quo vehementer dubitatur, an cum judicio familiæ eriscundæ concurrat. Negant plerique propter *l. 3. C. famil. erisc.* quam, quòd cum analogia juris pugnare videatur, inter cruces Jurisperitorum numerari, & de apicibus juris esse ait Sichardus. Nobis vel unius particulæ æquivocæ CUM interpretatio idonea, tantæ difficultati mederi videtur: si accipiatur non causaliter pro QUIA: sed adverbativè, quasi pro AT, vel CUM TAMEN, *ut in §. 1. in f. Instit. de usu & habitat. §. 2. in f. Inst. de testam. ordin.*

V I.

Inter effectus furti est etiam infamia, quando quidem non solum damnatus furti, sed & pactus, fit infamis. *§. ex quibusdam. 7. Inst. de pœna temerè litigant: l. athletas. 4. §. 5. cum legibus seqq. ff. de his qui notant. infamia l. non poterit. 63. ff. de furtis.* Cuius occasione quærimus; An infames ad suscipiendas tutelas admittendi sint? Id quod negamus, edocti accuratissimis prælectionibus Clariss; & consultissimi Viri, Dn. Justi Mejeri, J. U. D. Præceptoris & fautoris æternùm colendi.

F I N I S.

A D
 NOBILITATE ET DOCTRINA
 ORNATISSIMUM, DOMINUM CARO-
 lumâ Khol, Sitta-Lusatum: Respondentem.

E T Italas & Gallicas & Anglicas
 Videre terras pruriunt
 Omnes, catervatim volant ad externos.
 Germaniamq; negligunt,
 Linguamq; negligunt (pudor) domesticam,
 Exoticis student magis:
 Fastidiunt leges & quæ ad Rempublicam
 Nostram faciunt Germanicam.
 Queso libellos an Hispanicos foro
 Quis edit in Germanico?
 Quis excipit, quis replicat, quis duplicat,
 Et Gallicè quis triplicat?
 Concludit & quis Anglicè? sententias
 Vel Italas quis concipit?
 Nec Italis, nec Anglicis, neq; Gallicis,
 Hispanicis Germaniâ
 Nec legibus nos vivimus, novæ placens
 Fori neq; consuetudines.
 Romana Romanum decent & pomovent,
 Germanicum Germanica.
 Ergo tibi Romanâ cum linguâ prior,
 Romana jura, cura sint.
 Processus & nostro consuetus in foro
 Stylus, secunda cura, sint.
 Quod restat, exornat tantum; cui tertiam
 Impende diligentiam.

amicitiæ & adfinitatis ergo scribebat.
 Johannes Zeidlerus Laubâ Lusatius

221

A L I U D.

Sanguine præclaro nasci non infima laus est,
 Formaꝝ permultum fulgida laudis habet.
 Sunt & opes aliquid: simularis acervus, & auri
 Copia, quæ vulgus tollit in astra poli.
 Verùm quid prodest modò nomen habere parentum,
 Nec sibi consimili laude parare decus?
 Et quid opes & multi vitij sunt lata fenestra,
 Et quid opes & juvenis sunt mora sæpè boni.
 Carole, quocirca melior sententia mentis
 Est tua, quam virtus pectore rara fovet.
 Nomine dum claro non es contentus a vorum,
 Sed virtute tuis addis & ipse decus.
 Anne citem testes? Est disceptatio testis.
 Res ubi sunt clara, testibus ecquid opus?

A L I U D.

Nobile nomen alis, studium quoq; nobile tractas;
 Nomina sic rebus non malè conveniunt.
 Iuridicas tractas non infeliciter artes,
 Proponisq; tuas non sine laude Theses.
 Pungere multorum doctis errata lituris,
 Hac res solliciti plena laboris erit.
 Est gravis, est Themidi tamen haud ingrata, palestra,
 Fac modò sis pugnae tu decus, illa tibi.
 Tela alij mittant, tu tela immissa repelle,
 Magnanimum Martem munera magna manent.

Et ad finitatis & amicitiae causa,

Paulus Haugsdorph Laubâ Lusatus Philosoph
& SS. Theolog; Studiosus conscripsi.

A L I U D.

Res levis est animis Effundi limine letis;
 Res gravis est acri - Pergere posse pede;

Res



Res levis est Remoram pigrorum Cernere metam;
Res gravis est metam Tangere posse datam.
Tendisti Constans; prævisam tangere metam
Sudasti; Cursus præmia multa vides.
Præmia plura feres, Constanti curre Labore;
In DOMINO Felix assolet esse labor.
Reddaris patriæ sic Auctus præmia tandem:
Dicaris patriæ Gloria, Cura, Pater.
Patriæ prudenti facias adjuncta virescat
Consilio. Patriæ Curia salva vige.
Instantis, Vires Christo Donante Labori,
Anni seCLa, præCor, Degito pacIFICA.

Tūs φιλῆσιγίας ἐνεα F.

Joannes V Vidberus Sitta - Lusatus.

S *Vnt animi fortes, Generi qui gesta relinquunt,*
Fortia præclaro, non sine laude, suo.
Res agis, & decoras nulli Virtute secundum
Sic Virtute Tua nobile stemma patrum.
Res age: sic patriæ Te splendida fama manebit:
Non donis, certum est, virtus amica caret.

amica familiaritatis ergò scrib.

Georgius Binerus, Lippâ - Bojemus.

Q *Valibet astra quidem nativo lumine splendent,*
Et spargunt radios sidera cuncta suos.
Illatamen nitidi nitidissima solis imago
Luce sua meritò splendidiora facit.
Sic quoq; qui ducis claro de stemmate nomen,
Et trahis à prisca nobilitate genus.
Ex te lumen habes quo te secernere vulgo,
Ac caput è tenebris exsinuare potes.
Sed virtus splendore suo radijsq; refulgens,
Clarius hoc lumen splendidiusq; facit.

Johannes Schmidt, Budissinus F.

70



Strapberg, Diss., 1693-22

ULB Halle

3


005 303 01X



V17







B.I.G.

Farbkarte #13



190.

A T I O
 CA,
 R T I S.
 V I B V S D A M
 R I I S. 1673, 4
 T R I N I T A -
 I O.
 E T C O N -
 D O . C A S P A R I
 P A N D E C T A -
 n s i u m A c a d e m i a
 P r a e c e p t o r i s
 o r a n d i .
(quisitionem
 t ,
 e 23. horis
 t i s :
 K O H L
 I S .
 A T I ,
 C A R O L I .
 X I I I .

